

Numen est, cui vivendo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodest inclusa conscientia: patemur deo.

Sic certe vivendum est, tanquam in conspectu vivamus: sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit, et potest. Quid enim prodest, ab homine aliquid esse secretum? Nihil deo clusum est. Interest animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit. Sic, intervenit, dico, tanquam aliquando discedat.

Qui deum cuncta inspicere crediderit, neque clanculum, neque aperte peccabit.

3. Mirifice etiam Thales: nam interrogatus, an facta hominum deos fallerent? *Nec cogitata*, inquit. Ut non solum manus, sed etiam mentes puras habere vellemus, quum secretis cogitationibus nostris caeleste numen adesse credidissemus. — Sextus, Pythagoricus, dixit simili sententia: *Nequaquam latebis deum agens injuste, sed ne cogitans quidem.*

CAPUT V.

DEUS COLITUR ET PLACATUR PIETATE.

1. In ipsa communitate sunt gradus officiorum, ex quibus, quid cuique praestet, intelligi possit: ut prima, diis immortalibus; secunda, patriae; tertia, parentibus; deinceps gradatim reliquis, debeantur.

Tria sunt colenda maxime juvenibus: dii, parentes, leges.

Virum bonum, concedas necesse est, summae pietatis erga deos esse: itaque quidquid illi acciderit, aequo animo sustinebit. Sciet enim, id accidisse lege divina, qua universa procedunt.

Haud scio, an, pietate adversus deos sublata, fides etiam, et societas humani generis, et una excellentissima virtus, justitia, tollatur.

Sen. ep. 83. — Democrat. Sentent. 79. — Valer. M. 7. 1 — Sexti Sentent. 59.

Cap. V. Cic. Off. 1. 45. — Stob. 1, P. 1. — Sen. ep. 76. — Cic. N. D. 1. 2.